

CORNELII TACITI

- 3 ingenuos, virtus agnoscat. sera iuvenum venus, eoque
inexhausta pubertas. nec virgines festinantur; eadem
iuventa, similis proceritas: pares validaeque miscentur, ac
4 roborum parentum liberi referunt. sororum filiis idem apud
avunculum qui apud patrem honor. quidam sanctiorem artio- 5
remque hunc nexum sanguinis arbitrantur et in accipiendis
obsidibus magis exigunt, tamquam et animum firmiter et
5 domum latius teneant. heredes tamen successoresque sui
cuique liberi, et nullum testamentum. si liberi non sunt,
proximus gradus in possessione fratres, patruus, avunculi. 10
quanto plus propinquorum, quanto maior adfinium numerus,
tanto gratiosior senectus; nec ulla orbitatis pretia.
- 21 Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui quam
amicitias necesse est. nec implacabiles durant: luitur enim
etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero 15
recipitque satisfactionem universa domus, utiliter in publi-
cum, quia periculosiores sunt inimicitiae iuxta libertatem.
- 2 Convictibus et hospitibus non alia gens effusius indulget.
quemcumque mortalium arcere tecto nefas habetur; pro
fortuna quisque apparatus epulis excipit. cum defecere, qui 20
modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes; proximam
3 domum non invitati adeunt. nec interest: pari humanitate
accipiuntur. notum ignotumque quantum ad ius hospitis
nemo discernit. abeunti, si quid poposcerit, concedere
moris; et poscendi in vicem eadem facilitas. gaudent 25
muneribus, sed nec data imputant nec acceptis obligantur.
[victus inter hospites comis.]
- 22 Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt,
lavantur, saepius calida, ut apud quos plurimum hiems